


Bb

8

M. n. 1024

Jg. 445.



COEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE



Bb 8

Pro biblioteca Abbatia Bergensis  
prope Magdeburgum  
ad perpetuam rerum nostrarum memoriam,  
relinquit hanc Author.

Pium Musarum Orientalium desiderium:  
hoc est,

# BREVIS EXPOSITIO INSTITUTI

VIRI Celeberrimi, M. THEODORI PETRAEI,  
Flensburgo-Holsati, hodie Amsterda-  
mi agentis,

*De edendis in lucem utilissimis, iisq; haud paucis  
MANUSCRIP TIS ORIENTALIBVS,  
diversarum linguarum:*

Cum subnexa pii quanquam operosi operis pro virili pre-  
movendi obtestatione ac voto:

INSCRIPTA ET DICATA

CORDATIS SEU SAPIENTIB. EUERGETIS AC MUSA-  
GETIS CUJUSCUMQUE STATUS ET ORDINIS,

*Imprimis*  
*R. D. Abbati, totiq; conventui*  
*BERGENSI,*  
*JOHANNE WERNERO, ss. THEOL. Dottore.*

ANNO dlc Ic c LXX.  
cid 3



SALVTEM, GRATIAM, PACEM AC  
BEATITUDINEM SEMPERNAM, à DEO  
PATERE, DOMINO NOSTRO per IESVM  
CHRISTVM CRUCIFIXVM, in SPIRITVS  
S. communione, DOMINI MEI PLVRI-  
MVM COLENDI!

**A**D MAJOREM DEI GLORIAM, EC-  
CLESIÆQUE CHRISTIANÆ EMO-  
LUMENTUM ATQUE ORNAMEN-  
TVM, VIR polyglossus ac celebratissi-  
mus, M. Theodorus Petrus, MSCRA  
rarissima, sacra, profana, linguarum diversarum, quæ  
Ipse met Hierosolymis in Christi conditorio & Alexandreia  
Memphiq; Cairo Aegyptiorum & in Oriente alibi, MA-  
GNO CVM DISCRIMINE AC SVMTIBVS con-  
quisivit, indeq; ad Europaios apportavit, præter cætera  
autem utriusq; Testamenti libros Aegyptiacâ & Aet-  
hiopicâ linguâ operibus typographicis publicæ paulatim  
luci darc, desiderio tenetur summo: Quemadmodum  
rei hujus laudatissimæ illustria jam specimina edita e-  
quidem sunt, præclaraq; & visenda facta initia, haud  
paucis Veteris novique Domini nostri J. C. Instrumenti  
libris Aethiopice partimq; Arabice, cum Latinis versioni-  
bus collateralibus, aut inter-linearibus, ac NOTIS pul-  
cherrimis, tum Nationis Armenicæ in Asia, quin per to-  
rum propemodum terrarum orbem internum seu tri-  
quetrum disseminatae, Doctrinâ Christianâ Armeno-La-

tine,

rine, typis perquam venustissime expressis: quorum quidam cum ad manum adhuc dum mihi sint libri, iisdem sub oculos inspectiorum subjectis, verbo rerum testimonia, cum pondere, addere non nequeo.

Mediis vero ad rem tantam optatiis perficiendam necessariis, casu quodam tristi, perniciose atque exitioso destitutus, ad suppeditas ferendas Primorum ut & Negotiatorum loci haud paucos, me quoq; comite quandoq;, tentavit: AT FRUSTRĀ! Netamen tandem tanti res momenti incumbere in spongiam cogatur, en! in studiorum Me suorum consortium studiosissime pertractum rogavit, ut itinere *ad Magnanimos GERMANOS nostros suscepto*, illorum *MVNIFICENTIAM* operi nostro sublimi conciliarem. *Cæptum negotium!* DUCI præprimis SERENISS. GUELPHICO institutum nostrum SCRIPTO fusè expositum, commendatumq; prolixè. Exemplaribus interim Aethiopico-Arabico-Armeno-Latinis, quæ Amsterdam tum attuleram tum acceperam, hic, illic ad res nostras commendandas, nec raro quoque in itineris moræq; subsidium distributis, neq; habens amplius quam quedam tantummodo exemplaria, quæ saltem, tanquam propositi nostri diligentiaq; TESTES, producam his, quos Musis nostris devinctum eo, Dissertationem illam meam ad DUCEM SERENISS. GUELPHICUM, una cum scriptis nonnullis oriental. notatu dignissimis, potissimum autem *AETHIO PVM Homiliam de Christi nativitate*, næ, ut apprimè utilem ita undiquaq; politissimam summeq; orationem, tum *duas precatio[n]es* orthodoxas, & *Confessionem*, Latinè & partim Germanicè, cum NOTIS meis, prelo subjeci; addamq;, quum primum sumitus suppeditarint, *Doctrinam Christianam Armeniorum* Latinè, pervenustæ doctæq; brevitatist tractatum, cum NOTIS meis, tum *Confessionem CLAVII Imperatoris Aethiopiæ supra Aegyptum mirè pulchram*

6

**G**alis: quò, studium nostrum commendaturus, haberem quoq; , quæ, ostensis residuis mihi exemplaribus Aethiopico-Arabico-Armeno-Latinis longè nitidissimis visuq; dignissimis, in Sapientum manu, ad devinciendos Petraq; Mishiique animos, relinquem. HÆC ipsa igitur opera nostra, VIRI HUMANISSIMI, VOBIS jā nunc innotescere quasi gestiunt maximeq; cupiunt. Mea autem recens edita opuscula hoc ipso vestris se manibus offerunt, eo quidem fine, ut in illis, vel sub hoc cœlo Germanico, longissimè à nobis dissitos nigricantes AETHIOPES (auditum mire mirum!) & scitissimè prædicantes, & piissimè precantes & deniq; candidissimè Christum confidentes, cum animi suavitate singulari, audiatis, atq; inde, hac mea opella benevolentiori cum affectu suscepta, serenaq; eandem mente, fronte amplexi, PIUM NOSTRUM INSTITUTUM, cœu MECOENATES ac magni studiorum, imprimis sacrorum, Patroni, MUNIFICENTIUS promovere satagatis. Neq; ullus dubito, quin his scriptis, Homilia cum primis & precationibus Aethiopicis, cœn dicto opportunū in medium prolatō, quod malis aureis argenteo vase appositis æquiparatur à Regum temporalium Sapientissimo, Prov. 25, 10. suaviter afficiamini.

Quod super est, Deus VOS servet, VOS amplificet vestrásq; Familias! Vos Urbemq; hanc, (quam Deus ter o. m. brevi plenè, quæso, resuscitat!) & Ecclesiā atq; Scholam nunquā FLOS eximius deficiat. DECUS nunquam, etiam maximum! Conversatio, Meditationes & Labores vestri, Spiritu S. Præside ac Directore fiant, fintq; sanctificati, Deo Dominoq; nostro Jesu Christo jugiter probatissimi, deq; cætero felicissimi, nec sine divite fructu & salutis publicæ proventu, sine sancto gloriæ Dei & animarum exædificationis fœnore unquam! AVETE! FAVETE! SIC,

## VIRI AC DOMINI PLVRIMVM COLENDI,

nomine pariter Clariss, Petrai,  
devotissimus vester

JOHANNES VVERNERYS, SS. THEOL. DOCTOR

\* Consensum Domini Petrai, & elegantiissimos libros Aethiopicis, Arabicis, Armenicis typis Du.  
Petrai cura in signis, jussu inspiciendo proferam. \*

2

MENSA SOLIS; (Mayda: zahaja: Aethiopicæ)  
Seu  
**ANIMÆ DAPES**

SALUTIFERAE, AB AETHIOPIBUS  
supra Aegyptum petitæ:  
hoc est,

*Eximia quadam Monumenta Abissinica, eandem cum  
nostra FIDE M Aethiopum Christianam complexa;  
Nuper, cum variis variarum Ling. Orient. sacris, profanis Manuscriptis, Al-  
kahiræ, Hierosolymis & in CHRISTI Conditorio studiosissime conquisitis,  
allata, & lingua typoque Aethiopico & Latino interlineari, ceu dæplici vase,  
Recip. Christianæ AMSTERDAMI apposita.*

A  
**M. THEODORO PETRAEO, FLENBURGO - CIMBRO,**  
hodie Amsterdami, singulari Ecclesiæ Christianæ Compendio atque  
Ornamento, inter Musas orientales degente;

*Nunc verosola versione Latina, cum Notis, ad excitandos piorum conaturum  
Promotores ac Eusegyetas, denuo prelo subjecta.*

Pompon. Mel. H. sp. qvi Claudio Imp. floruit, l. 3. de Orbis situ, c. 10.  
De Aethiopibus, qui longe lateque circa Meroen sedent, quam habent, quamq.  
Nilus primo ambitu amplexus insulam (longe patentem l. i. c. 9.) facit, agens.  
Est, inquit, locus apparatus epulis semper refertus, & quibuslibet vesci volen-  
tibus licet, ήλίς τραπέζας appellant, & quæ passim apposita sunt, affir-  
mant innasci subinde divinitus. Ad quem locum Severus Imperator, cum  
Alexandream venisset, rei permotus fama, Spartanotradente, profectus est.  
Cælius l. 16. antiquarum lectionum scribit, solis mensam adagio dici divitium  
demos, omnirerum copia ubertim affuentes, expositasque in opam necessita-  
tibus & alimentis. Aethiopum nomen tellusque vel ante Homerij tantem, pa-  
rum absuit, quin religiosa sanctaque aliis essent, unde & ille ipsum Jovem,  
cum concilio cœlesti, nonunquam ad inculpatos Aethiopes eorumq; sacrificia  
convivatum iisse atque deliciatum, mellis sua celebritate canit.

\*\*\*\*\*  
ANNO AEKAE CHRISTIANAE CID. CCC. LXX.



## TITULI REDDITA RATIO.

**Q**uāq; Aethiopia supra Aegyptum ob miram fertilitatem, q; vā sōlis munere prædita est, Solis mensa prope dicenda est: historiæ tamen pag. præced. allegatae Solis mensam ad certum Aethiopiaz locum, Aegypto vicinum, Soli sacrum, eumq; amplum, & ad loci ritum per quam mirificum atq; augustum, in Solis honorem institutum, astringunt. Loci propinquitas, unde historiæ Pomponianæ veritas quoq; dependet, ex cōstanti ejus per Aegyptum fama & comperta notitia, quin ab Imperatoris Rom. itinere ad locum directo patet. Amplitudo ex voce PASSIM apud Melam constat. Magnūm profectio erat, locum ampliorem esse epulis refertum: majus, quibuslibet visci licere: maximū quod affirmabant sc. Solis mystæ, quæ passim apposita erant, innasci subinde divinitus. Validissimus sane est Deus hujus mūdi, s. improborum, in filiis inobedientiæ 2. Cor. 4, 4. Eph. 2, 2. Nec dubium quin vel Cacodæmonis, quem sub Solis imagine miseri ibi colebant, vi, vel sacrificiorum occulta opera ac fraude, sive noctu sive per cuniculos, epulæ illæ subinde ad moverentur: quo & miraculi alicujus majestas loco constaret, & divinitatem res tota spiraret. Hæc est enim idolatriæ indeoles, ut miraculis perstrepant omnia, iisque mendacibus, sive Satanæ potentia sive hominū fraudulentis artibus. Ratio manifesta. Idolomania diabolorum cultus est: Diabolus autem Dei adversarius, χακόζηλος, majestatem Dei ac potentiam apud suos sibi affingens, miracula pro modulo quidem ja&t;at, sed vera non edit, verum fucata, ex diversis rebus creatis minus congrue plerunque, centonjs instar, consutis emendicata, fraudibus etiam atq; præstigiis intertexta atque obcoeta, (ad eorum contegenda vitia) quin, sc̄eu abortum aliquem, imperfecta, indeque prorsus clumbia, inania, nauci. Quod vel hominis mortui exemplo manifestum, quenq; nunquam vere vita restituet. Sed ad rei caput, Jam si mensa Solis Aethiopia per naturæ donum dici potest; quanto p̄tiori jure Solis mensa spiritualis, gratia ratione, dicenda? Solis autem justitia, I. Christi! Si celebrata olim mēsis diabolicis aut fraudulētis quoq; Aethiopia, quantum q̄t̄so moderna mutata ab illa! Quām egregiam vero laudera Christiana præ ethnica refert! Exsulat hodie fratis omnis. Illusio Satanica cessat, quin sub noctem æternā sepulta est. Sol gratiæ prope plusquam creatus Aethiopem hunc illucet. Spiritualis illius fœcunditas exspectatione omni superior est, sive Christi cognitione, qua afflxit, sive fidei etiam integratam spectemus. Quod superest, Ecclesia illa Abissinica est mensa Solis justitiae, mensa spiritualis, qua & delectatur Christus & delectat. Ex illa hæc ferula deprompta Germanis nostris apponere fategim⁹. His igitur ad Dei gloriam, animæq; propriæ exædificationem invitent se largiri, rogamus atque obsecramus. Immanuel!

CHRISTVS AE THIOPIBVS  
NATVS.

<sup>id est</sup>  
HOMILIA DE NATO  
CHRISTO,

Quinquaginta concionum AEthiopica manu pergamena  
inscriptarum tum solennium tum alia Fidei capita enucle-  
antium & è CHRISTI sepulchro allatarum PRIMA , ante  
hac in latinum studiose conversa , nunc majoris evidentiæ &  
commoditatis gratia in versus distincta, additis Notis, cum  
Dispositionis specimine.

**H**omilia de nativitate Domini nostri Iesu Christi in pace  
Dyrsan: baynta: lydatu: laygziyna: Ijesus: Chrystos: ba-salama:  
Domini, Amen.  
Ygziabyher: Amen.

Vers. 2. Mirabile mysterium ejus (a) & altum, o Dilecti mei ! Pa-  
stores prædicarunt, &c, non sicut in canticis suis, (b) in gloria ce-  
cinerunt : & glorificarunt Angeli & gratias egerunt Principes  
Angelorum. (c) Et benedixerunt Cherubim & cecinerunt Sera-

A 2

phim,

Explicatio quædam necessaria.

(a) Christi secundum excellentiam ita dicti, vel nativitatis Christi: qua de titulus. (b) sc. pastoralibus, sed cum Angelis in gloria &c. Notetur! Ut principium homiliae oratorem insigne redolet, ita Homiliatota brevis sed letitia plena Decla-  
matio oratoria est : Quæ duæ sunt virtutes, de Patrum sententia, sermonum festivalium. (c) id.est Archangeli.

Specimen Dispositionis & analysis hujus Homiliae.

1. Thæma & propositio, i. generalis, cum voto ejusque sigillo v. 1.  
2. specialis, quam sit plena mysteriis nativitas hæc, v. 2.

phim, videntes Deum insuper terra & qui fuit supra , descendit  
infra (d) & qui est infra, fuit supra in amorem hominum.v.3. Ho-  
die Bethlehem assimilatur cœlo : atque pro stellis , ecce Angeli  
laudant : & pro sole, ecce Sol justitiae ! & ubi habitat Deus, ibi  
sunt exercitus ejus. 4. Deus factus est homo, nec imminuta fuit  
divinitas ejus, propter humanitatem ejus ; Sed Sermo Dei ille  
est, qui incarnatus fuit ; 5. Cum vero natus esset, abnegarunt eum  
Iudæi & inverterunt Pharisæi verbum librorum, ac Scribæ muta-  
runt legem. Herodes quæsivit puerum , non ut honoraret eum ,  
sed ut occideret eum ; & omnes mutati sunt. Iudæi abnegarunt  
regem suum & populi contenderunt ob regem gloriae cœlestem,  
& admirati sunt, quomodo descenderit super terram ? 6. nec in-  
tellexerunt ipsum Angeli, neque principes Angelorū, nec Thro-  
ni, nec Dominationes, nec Virtutes ; 7. sed descendit in occulto  
& processit de ventre sine mistione & factus est homo neq; mu-  
tata fuit divinitas ejus. 8. Reges venerunt & adoraverunt Re-  
gem gloriae. Ac milites adoraverunt Dominum Militum & Vir-  
tutum.(e)9. Mulieres adoraverunt illum, qui natus est ex mulie-  
re, ut converteret tristitiam illarum (f) in lætitiam.(g) Virgines  
adora-

(d) descendit, seu deorsum ferebatur. (e) Angelorum, v.8. (f) in  
quas Hæva mater eas conjecit. (g) secundum promissum Ge-  
nes.3,15. Joh.16,21.

II. Thematis confirmatio & amplificatio (1) ab exemplo glorifi-  
cantium , 1. pastorum , 2. Angelorum , subjuncta causa præ-  
gnantissima qua simul mysterium explicatur, v.2. (2) Ab egregia  
comparatione Bethleemam inter & cœlū; v.3. q.d. Quantum my-  
sterium quo parva Bethlema similis fit Hierosolymæ cœlesti, ter-  
ra cœlo!(3)Ab admiranda mysterii natura, & accuratiore ac inte-  
riore ejus explicatione , v.4. (4) A mysterii sublimitate, qua ma-  
nen incomprehensum omni intellectui creato ; usque dum Deus  
ipse incarnationem suam gratiosè revelet. Vnde contradic-  
tiones irregenitorum hominum gravissimæ.v.5. (5) Ab angelorum  
exemplo.v.6. Tam sublime enim est Dei homo facti mysterium,  
nt (1) ne angeli quidem nisi ex revelatione cognoscere eam pos-  
sint, Eph.3,10, imò (2) Angeli eam quidem introspiciant, nec

adoraverunt Filium virginis, & miratae sunt, quomodo ubera hiliæ stillaverint lac & nutrimentum pueruli? v. o. Pueri adoraverunt puerum, ut ex ore parvulorum & lactentium præpararet laudem: & iterum puéri adoraverunt illum, qui constituit ipsos martyres per manum Herodis fatui. v. ii. Homines adoraverunt illum, qui factus est homo, & sanavit omnem pravitatem hominum. Pastores adoraverunt pastorem ovium, qui tradidit animam suam (pro) redemptione ovium suarum. 12. Sacerdotes adoraverunt illum, qui fuit Sacerdos in æternum, secundum ordinationem Melchizedec. Servi adoraverunt illum, qui accepit formam servi, ut exueret servitutem nostram. 13. Magi (h) adoraverunt Dominum Magorum, qui fecit illos captatores hominum. Publicani adoraverunt illum, qui constituit publicanum Evangelistam. 14. Scortatores adoraverunt illum, qui remisit peccatum moretricis, quæ flevit ad pedes ejus. Peccatores adoraverunt agnum, qui portavit peccatum mundi.

V. 15. Omnes illi lætati sunt. Nos autem lætemur, non quidem citharis, quas gestamus, nec armis, sed in Nativitate ejus lætemur: quoniam ille (est) spes nostra, & salus nostra. 16. Atque dicamus uti Angeli: Gloria Deo in excelsis, & pax in terra, hōminibus beneplacitum ejus, qui natus est ab exordio mundi (k)

A 3

"(nobis)

"(col. 1,22)

ex

(h) Magi, quatales, crassis hic peccatoribus accensentur: vide que sequuntur & confer cum. v. 45. (i) non latitia corporali, que duobus fere consistit, ludicris & seriis, gestatione nimicithara & armorum. (k) sc. in promissis, Gen. 3, 15.

tamen penetrant, i. Pet. 1, 12. Ratio sequitur v. 7. ubi est (6) nativitatis explicatio ulterior, v. 7 (7) Amplificatur nativitas ab effectu, sc. à consecuta gratiosa omne genus hominum conversione ad fidem cultumque Christi humilium & religiosum, adorationem piuta: servato ubique per omnia allegoriae decoro, v. 8. 15. (8) Acohortatione & exhortatione seria ad latitiam; (i) secundum illorum exemplum, (2) cum causæ exaggeratione, v. 15. (3) cū præscriptione formulæ, v. 16. (9) A quibusdā insignibus mysterii circumstantiis, v. 16. 17. (10) Dehortatione à minus verecumde scrutando tanto mysterio, v. 18.

ex spiritu sancto, vere nativitas ejus ex alto, & vere nativitas ejus  
ex virginie. v. 17. Deus natus est ex Deo, similis factus ut homo, nec  
corrupta fuit virginitas ejus ; (l) Sed natus est sicut voluit spiri-  
tualis, (m) non cognita fuit nativitas ejus superna. (n) 18. Et ne  
scrutemini nativitatem ejus ex virginie: non enim convenit crea-  
turæ inquirere in creatorem suum. Virgines autem cum nubunt  
pariunt, sed hæc virgo non experta virum peperit ac inventa fu-  
it virgo, & hoc factum excedit cogitationem: atque ne loqua-  
mur de illo, (o) sed glorificemus sine inquisitione illius. 19. Hic  
autem qui non contrectatus est, neque apparuit, neque fuit car-  
nalis, habitavit in carne corruptibili, ut viderent eum omnes.  
20. Etenim credunt in visione oculi præ auditione auris. Et qui  
viderunt eum, crediderunt; qui vero non viderunt eum olim,  
(p) abnegarunt; (q) & propterea voluit ut appareret in carne  
& confunderet (r) illos, qui non credunt. 21. Natus est autem ex  
virginie non cognoscente, sicut organum pusillum, cuius sonus  
exit ex eo fortiter; illa autem non cognovit id, nisi ex Gabriele  
angelo, cum interrogavit illum, & dixit ei, quomodo erit mihi  
hoc non cognoscenti virum? & dixit ei: Spiritus S. habitabit  
super te, & virtus Excelsti obumbrabit tibi. 22. Namque figulus,  
quando invenit argillam bonam, singit ex ea vas honorabile: si-  
militer & Dominus noster invenit carnem & animam ejus pu-  
ram, & fecit sibi habitaculum. (s) Et se vestiens exiit, nec eru-  
(l) sc. Mariæ matris. (m) i.e. ipse qui spiritualis est, & ipse Spiritus  
Deus. Hinc & ejus nativitas eatenius dicitur hic spiritualis,  
quatenus incomprehensibilis est, hoc est, potentia infinita & in-  
comprehensibili modo antecedens ei incarnationis facta est. Vi-  
de I. Cor. 2, 14. (n) vide supra dicta, in v. 6. 7. (o) sc. facto,  
id est, ne curiosus scrutemur modum conjunctionis utriusq; in  
Christo naturæ. (p) ante incarnationem. (q) sc. plerique. (r)  
id est, voluit apparere ut confunderet. (s) aut vir ille bonus hic  
sensit cū Ecclesia Romana, aut præter mentem, ex ornandi the-  
matis studio, intempestivius (ut est fere hominū ingenium, non  
absterrēte imprimis rigidioris censure metu,) abripitur. Nihil  
enim tale in Aethiopī confessionibus, quantum memini, lectū.  
Nisi hac sit mens: cōparavit sibi humanam naturam sine peccato.  
vul: ep̄i: Mariae. puram. p̄m̄gat. Invenit sc. grāt̄ ansea fecerat  
ip̄sc.

sc. artif̄vps

buit vestiri, & honoratum fuit opus ejus: nam habitavit super illum factor ejus.

Vers. 23. Quid dicam, & quid eloquar? Quoniam antiquus dierum, qui sedet super thronum suum excelsum & elevatum factus est infans & jacuit in praesepi, & contrectatus fuit in anibus terrenis, qui dirumpit vincula peccati, involutus est fasciis: 24. Quia voluit, ut daret (ss) honorem iis, qui non fuerunt honorati, & daret gloriam contemptis, & coronaret nos bonitate: 25. Et habitavit super nos, ut recuperemus verbum ejus, & assumat carnem nostram, ut mundaret illam, & dedit nobis spiritum suum, ut salvaret nos, & intellectum dedit nobis, ut merecaremur, & thesaurizaremus thesaurum vitae. 26. Quoniam Iudei crediderunt verbo, (s) nos autem credidimus operi. (t) Iudei generunt eum; nos autem recepimus eum. 27. Apud illos palmae vitis; apud nos vero uva justitiae. Ipsi vindemiartunt in torculari; nos vero bibimus potum mystrii. Ipsi seminaverunt sermonem librorum, qui dicit s Ecce virgo concipiet, & pariet filium; nos autem accepimus fructum ejus. *grammum instrumentum nos autem mescimus spicum Fidei. Iti predicamus.*

V. 28. Et enim Adam jam olim provenit ex pulvere sine conjugio, & ex Adamo <sup>fine</sup> absque muliere exiit mulier: similiter quoque virgo sine masculo peperit hominem, ut ne gloriaretur Adam, eo quod sine muliere protulerit mulierem. Et propterea hodie virgo sine masculo. (u) 29. Sicut vero sumpsit os è latere ejus, nec imminutus fuit Adam: Ita etiam virgo concepit hominem perfectum, qui habet animam & vocem, &

intel-

(ss) Ut daret &c. i.e. dare &c. & coronare &c.

(s) Per verbum sc. promissionis; si intelligantur Iudei ante nativitatem; sed si illi qui circa nativitatem vixerunt, tum idem est at, per verbum sc. Angelorum. (t) per rem ipsam, id est per Christum exhibitum; sed si nos opponamur illis qui circa nativitatem Christi ante adulantem ejus etatem vixerunt, tum opere idem est ac per opera sc. Christi docentis &c.

(u) sc. peperit.

intellectum suum, nec imminuta fuit virginitas ejus. v.30. Atque  
sicuti deceptus fuit Adam & factus est vas Satanæ, ac ob ipsum  
induit carnem ejus, ut prohiberet ab illo seductiones Satanæ 31.  
Et si natus fuisset per conjunctionem conjugalem, utique argu-  
issent eum mendacii multi. Nunc autem natus fuit ex virgine, &  
nato illo custodivit virginitatem suam sine corruptione. (x) 32.  
Et quum dicunt prævaricatores: Christus num ut homo natus  
est, an sine homine? Ecce sigillum virginitatis sine immunditia;  
& divinitas ejus (y) vicit legem humanam, & fuit venter ejus  
(z) tanquam habitaculum: etenim processit a) in nativitate si-  
ne corruptione, & mansit divinitas ejus, (b) 33. Dic mihi, ô Iu-  
dæ, peperit virgo, nec ne? Si verò peperit? quare non cre-  
dis nativitati ejus? Si autem non peperit, quare seduxisti Herodem?  
cum interrogavitte & dixit, ubi nasceretur? & dixisti ei: in  
Bethlehem Iudæ! 34. Nonne nos novimus civitatem ejus & lo-  
cum ejus? Nonne Iesaias manifestavit, quomodo Deus ille? (c)  
dicens: pariet filium, & vocabit nomen ejus EMMANVEL, cu-  
jus interpretatio, DEVS NOBISCVM. 35. Nonne vos hostes re-  
vera, qui resistitis veritati? Nonne Scribæ & Pharisæi qui intel-  
ligunt legem, loquiuti sunt nobis omnia de vobis? dum nescimus  
sermonem Hebræum? 36. Sed vos exposuistis scripturas & dixi-  
stis ei: ante nativitatem ejus virgo est, & post nativitatem ejus.  
& hoc per gratiam Dei interpretati estis. 37. Nonne vos (estis)  
de quibus suscitatus est Herodes & commemorasti ei prophe-  
tiam Michæ (c.5,2.) ut confirmaret sermonem vestrum, qui  
dixit: Et tu Bethlehem domus Ephrætæ, non minima es ex re-  
gibus Iudæ: ex te egreditur Rex, qui pascit populum meum  
Israel. 38. Bene dixit propheta; Egressus est ex illa & venit in  
universum mundum, qui sicut ab æterno & erit omni tempore.  
Hodie natus est ut homo, qui pascit populum suum, Salator  
mundi? 39. O sapiens amator hominum, qui apparuit, & cognos-  
cerunt eum in præsepio, uti Regem illum, & fecerunt boni præter  
voluntatem suam, revelarunt cum & voluerunt occultare eum,  
40. Insipientes Magistri, qui docent, quæ non intelligunt! dum  
esuriunt, saturant, & dum sitiunt, potant, & dum egent, ditant!

V.41. Agi-  
(x) Maria. (y) Christi. (z) Marie. (a) Christus. (b) Christi. (c) sc. est.

V.41. Agite nunc lætemur & celebremus festum ! quoniam  
negocium nativitatis ejus mirabile est. 42. Hodie solvit vincula  
mundi : hodie confudit diabolū & expulsi sunt omnes dæmones  
ejus, & defecit mors, & apertus est paradisus & destruxta est ma-  
ledictio, & aufugit peccatum : & pervenit verbum ejus usque ad  
consummationem, & venit verbum justitiae atque consociati sunt  
angeli cum hominibus , & homines loquuti sunt cum Angelis :  
43. quoniam Deus venit super terram, & homo in cœlum, ac duo  
illi unum facti sunt. Verbum venit in terram , & fuit in cœlo, ac  
implet cœlum & terram, ille Deus factus est homo, nec imminuta  
fuit Divinitas ejus, illud Verbum, quod non patitur , caro fa-  
ctum est. 44. Quem non capit cœlum, hodie eum cepit præsepe :  
& suxit lac ex Virgine, qui nutrit omnia. Hodie pater omnis æ-  
ternitatis factus est puer ut possent homines appropinquare ei.  
45. Hodie venerunt viri divinationis (d) & acceperunt liberta-  
tēm suam, & abnegarunt pristina opera sua, (e) ac se extulit cœ-  
lum ob illos, atque monstravit illis stellam Domini nostri, 46. Et  
ivit (f) (in) regionem Aegypti, non quidem ob metum Herodis,  
sed sicut dicit Iesaias : (c.19.23.24.25.) In illo die fuerunt viri Af-  
syriæ & viri Aegypti & benedicentur insuper terra, cui benedixit  
Dominus. Et iterum dicit : Erit populus meus benedictus in Ae-  
gypto & in Assyria & in Israel. 47. Et ecce Assyrii prævenerunt  
adorare per Magos. (g) Post illos vero receperunt eum Aegyptii,  
quando aufugit ab Herode; & postea (h) egressus est ex Iordanie,  
cognoverunt eū Israelitæ, & facti sunt ultimi. 48. Siquidem adiit  
terram Aegyptiorum, ut confringeret idola eorum. Et pro tristi-  
tia dedit illis lætitiam : ac loco plagæ effudit super eos gratiam,  
atque vice noctis & caliginis largitus est illis lumen salutis , [i]

## B

existens

[d] Magi, quam vocem Aethiopes in malā partem hic capiunt, sc.  
pro divino, harilo, contra ac Europæ & Ecclesie. [e] vanissima-  
rum Deoque exosarum divinationum. [f] sc. Christus, Mat. 2,  
13. [g] Aethiopib⁹ Magi sunt Assyrii ob vaticiniū hoc, Nobis Per-  
se ! Dissensus levis. Magorum vox & officium sunt Persica.  
Officiū ab Assyro-Babyl. profectum. Cōfer Ies. 47, 14. 15. Dan. 2.  
[h] pro postquam. [i] hoc v. 48, opponit opera Mosis & Christi  
in Aegypte.

existens puer. Sicut dixit Lucas Evangelista: Et peperit filium suum primogenitum, & reclinavit eum in præsepi: quoniam non habebant locum in diversorio suo. 49. Purgavit Aegyptios ab omni immunditia sua, & aquam illorum, quæ corrupta fuit (k) constituit baptismum purificationis: & pro eo quod abnegaverunt colere idola, cognoverunt Deum, & constituit inter illos multos Martyres & Sanctos.

V.50. Admirabile (est) negocium ejus! venit in humilitate & jacuit in præsepi & habitarunt Joseph & Maria deficientes, ad indigentes, atque omne opus eorum in egestate (fuit:) 51. Etenim sublimis humiliatus est, & dives indiguit, neque præparatus fuit ei lectus, & vestimenta, sed jacuit in pulvere, qui comprehendit universum mundum: & colligatus est in panniculis, qui disrumpit vincula peccati. Qui docuit viros divinationis abire [in] regionem suam per aliam viam. 52. Et Ioseph vocatus est maritus ejus, (l) illa autem uxor ejus, verbo non opere: Ioseph desponsavit illam, & Spiritus S. inumbravit illam. 53. Et idcirco contristatus fuit Ioseph, ac defuit quod diceret; si enim dixisset, ex scortatione illum esse, non ausus fuit; namque vere non locutus est verbum blasphemiae in virginem; si vero dixisset; Filius meus est, non potuit mentiri, quoniam nesciebat unde ille? nec potuit loqui de se ipso. 54. Atque nunciatum est ei de cœlo per vocem Angeli, qui dixit illi: ne timeas Ioseph: quoniam qui nascetur ex illa, Sanctus ille & Filius Dei est: quoniam Spiritus S. obumbrabit ei: & ideo peperit virgo existens. 55. Etenim olim Heva virgo fuit, & seduxit illam Satanás, & peperit verbum, quod fuit Dux mortis; Maria autem per annunciationem angeli Verbum, quod caro factum est, & fuit Dux vitæ æternæ. 56. Verbum Hevæ monstravit lignum, & per illud lignum ejectus fuit Adam ex horto: Verbum autem Mariæ monstravit lignum crucis, ob quod introivit latro in hortum, in similitudine Adami. 57. In hoc vero non crediderunt Iudæi, nec Ethnici, nec progenies Sacerdotum, uti nasceretur Deus, & benediceretur; 58. Et propterea apparuit in corpore mortali, qui non moritur, & custodivit corpus, quod recipit passionem. 59. Ille autem Deus, qui nō minui-

(k) Iterum confert Christum cum Moſe, Exod. 7, 21. (l) Mariæ

minuitur, natus est ex Deo sine mixtione. Quandoquidem homines reliquerunt inservire ei, & fecerunt sculptile in similitudine creaturæ, & coluerunt, (m) ac deseruerunt creatorem suum.  
60. Atque ideo apparuit Verbum Dei in forma hominis, ut amoveret opus vanitatis, & servirent Deo soli, cui laus & honor in seculum seculi, Amen. (m) *Hlud.*

\*\*\*  
*Duae Aethiopum Precationes piæ & orthodoxæ,  
ex illorum Liturgiis transsumptæ: Prior.*

**G**ratias agimus factori bonorum, super nos (qui est) Deus misericors, Pater Domini nostri & Salvatoris nostri Iesu Christi; quoniam protexit nos, & adjuvit nos, ac custodivit nos, atq; suscepit nos ad se, & commendavit nos, & confirmavit nos, & duxit nos usque ad hanc horam. Rogamus igitur denuo illum, ut conservet nos hoc die & omnibus diebus vitæ nostræ in omni pace omnipotentis Domini Dei nostri. Domine Deus omnipotens, pater Domini nostri & Salvatoris nostri Iesu Christi, gratias agimus tibi super omne opus & in omni opere & propter omne opus. Quia defendisti nos, & adjuvasti nos, ac custodivisti nos, atque accedere fecisti nos ad te, & duxisti nos usq; ad hanc horam. Propter hoc petimus à te, & quærimus à bonitate tua, & Amator hominum, da nobis, ut finiamus hunc diem sanctum, & omnes dies vitæ nostræ in omni pace cum timore tuo. Omnes invidiam, & omnem machinationem, & omne opus Satanæ, ac consilium hominum malorum atque insultum hostis occulti & manifesti remove, & abige à nobis, & ab omni populo tuo & ab hoc loco sancto tuo ac omnia bona, & quod expedit & quod decorum est, præcipe nobis illa: Quia tu es, qui das nobis dominium, ut conculcemus draconem & scorpiones & omnem vim inimici: & ne inducas nos in tentationem, sed libera nos & eripe nos ex omni malo, per gratiam & misericordiam ac amorem hominum, cum filio tuo unico Domino nostro, & Salvatore nostro Iesu Christo, cum quo tibi gloria ac honor & gratiarum actio convenit cum eo & cum Spiritu sancto, qui æqualis (est) tecum nunc & semper, & in seculum seculi, Amen.

B 2

Alia



## Alia Precatio Aethiopica.

Benedicatur Deus, qui creavit cœlos & terram, & mare, & omnia quæ sunt in eis; Potens & Victor, Dator, Misericors, Mitis, qui fuit ab æterno, & permanebit usque in seculum seculi: novit omnia & nihil impossibile erit ei. Orote per magnitudinem tuam, & timorem tui, propter virtutem tuam, & regnum tuum, ut propitius sis peccato meo, & iniquitatim ex: & custodi me dextra tua excelsa, & brachio tuo fortis: quoniam tu, Domine, mortificas animam meam & vivificas eam, debilitas & sanas animam meam. Obsecro te Domine, liberes me ab omni angore & afflictione. Peccavi, Domine, peccavi, propitius esto mihi, & condona (differ) omne quod admisi, delictum & peccatum. Dirige viam meam in via tua, ne inducas me intentionem. Adjuva me, & custodi me, & libera me ab omni, quod timeo. Deduc me, Domine, in viam tuam. Amove à me Satanam & exercitus ejus & serva me ab ira regis (a) propter magnitudinem tuam, & formidinem tui. (b) Da mihi, Domine, amorem fraternum & juva me in die afflictionis meæ: quia in te spero, & in te credo & in te confido usque in seculum seculi, Amen.

(a) Quis rex ille? non Satan, cujus violentiam jam deprecatus est precursor: sed procul dubio supremum suum in terris regem, à cuius sententia appellare alium nefas est. (b) Formidabilitas Dei, cœn magnitudinis consequens, videtur intelligi.

## Oratio Domini: (Zelotæ Ygzia:) i.e.

Interpretatio orationis Dominicæ ex Aethiopico, unâ cum ejusdem pronunciatione: qua Sapientes ling. Aethiop. affinitatem cum Hebraica matre & quandam etiam harmoniam cum nostris linguis vident.

Abuna: za ba famaiat: jotkadas: somcha: vva-jomzao:  
Pater noster, qui in cœlis, sanctificetur nomen tuum: & veniat  
man gosto-cha: vva jochun:fakadacha: ba-chama: famaio:  
regnum tuum: & fiat voluntas tua int̄ sicut (seu sicut in)  
chamahu: ba-modor. (vel modr, mydr, & sic reli-) Habana: iom:  
cœlo, sic in terra. (qua literæ sexti ordinis.) Da nobis hodie  
sisajona

**S**isajona : zalala : olatna : hodog : lana : abafana : vvage-  
cibum nostrū: ad dies nostros; remitte nobis peccatum & iniqui-  
tatem nostram & sicut (sicut &) nos remittim⁹ eis, qui peccat  
lana : vvaitabaana : Ogozio seu Ygrio : vvosta : mansut:  
in nos: & ne inducas nos, Domine, in destructionem,  
amlachana : Adohonana : vva-balohana: om  
rex nōster, seu Deus nōster, Salvator nōster; & liberanos ab  
chuulu: ochuio: Osma : ziacha: iooti : mangost: chobro: vva.  
omni malo. Quoniam tuum est regnum, gloria &  
sabhat: ioozeni: vvaazalofani: vvalaalama: alam: amen:  
laus, nunc & semper & in seculum seculi, amen.

**S**alutatio Angelicæ Æthiopibus quibusdam  
usitata, pronunciatur, & Latinis explicatur, ut sequitur.  
**S**ælæmæ : vel salama: (per patach) Gabriel : mæliach &  
Salutatio Gabrielis angelis,  
ad dominam meam Mariam,  
ægziytyja: Mar-jam:

**S**Alama vel Sælæm; lachi: dyngyl: basogochi: vvadongol: vel  
Salus tibi virgo in carne tua & virgo  
dyngyl: balinachi : om: Ygziabyher: Sabaot: salam: lachi:  
in meditatione tua, (a)mater Domini Sabaot: pax tibi,  
burchot: anti: omasont: vvaburuch: fore: charsochi:  
benedicta tu è mulieribus, & benedictus fructus ventris tui  
tafasoni: fosohat: amloot: zoga: Ygziabyher: moslichi: amen:  
Æthes gaudiorum, plena gratia, Dominus tecum, amen.  
(a) hoc est, animo mente, cogitationibus, voluntate, cupiditatibus.

\*\*\*\*\*  
**S**ymbolum Fidei Æthiopum, ex eorum Liturgiis  
depromptum.

**C**redimus in unum Deum, (illum regem) Dominum [seu Jeho-  
vam,] Patrem omnipotentem, (potentem omnium,) Creato-

rem cœli & terræ, qui videt & qui non videtur. Et credimus  
in unum Dominum Iesum Christum Filium patris unicum, qui  
una cum ipso substantia antequam conderetur mundus, lumen  
de lumine, Deum de Deo vero. Qui genitus est, & non factus,  
qui æqualis cum Patre in divinitate, per quem omnia facta sunt,  
sine ipso autem non est, quod factum est, neque in cœlo, neque in  
terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem de-  
scendit de cœlis, & homo factus est de Spiritu sancto, & ex Ma-  
ria sancta virgine factus est homo, & crucifixus est propter nos  
in diebus Ponrii Pilati, passus, mortuus, & sepultus est & resurre-  
xit à mortuis tertio die, sicut scriptum est in Scriptura sacra. A-  
scendit per gloriam in cœlum, & sedet ad dextram Patris sui, in-  
de veniet in gloria iudicaturus vivos & mortuos, & non erit finis  
regni ejus. Et credimus in Spiritum sanctum, vivificatorem, qui  
procedit à Patre & Filio, adoramus & glorificemus eum cum  
Patre & Filio, qui locutus est per prophetas. Et credimus in u-  
nam sanctam Domum Christianorum, quæ super universa con-  
gregatione Apostolica ædificata est. Et credimus in unum Ba-  
ptisma ad remissionem peccatorum, & expectamus resurrectio-  
nem mortuorum, & vitam quæ ventura est in secula seculorum.

*De mensa Solis, Disquisitiuncula ; Vbi E*

*Melæ locus l.3.c.10. consideratus.*

I.

Principio hic, quæ tituli ergo pag. 1. & 2. adduxi, memoria re-  
peti convenit. Melam jam qui per transennam adspicit, non  
dubitetur, quin mensam Solis ad Abissiniæ mirandam feracitatem  
transferat, aut certe in Mela fidem, demersam fortean hic in fa-  
bulas desideret. Prior locum si habet sententia, non de proprie-  
dicta mensa, ejusve structura ac eduliis naturæ miraculo quodam  
productis cogitandum amplius, sed per translatam impropri-  
amque dictiōnēm capienda omnia, nec quicquam ultra naturæ  
fortem evehendum. Omnis enim Abissinica prope regio strata  
perpetuo quasi mensa est & Solis quidem, cuius propinquitati &  
ardori ea rerum, qua natura auctrix eam dotavit, affluentia de-  
betur : ni tamen & habitus telluris emendatior, reliquorumque  
natura,

naturalium concursus, juxta manum Dei benignissimam, plurimum hic sibi vendicant, ac cum sole fœcunditatis laudem, æquali sorte, divisam habent. Adeatur etiam Alvaresius fertilitatis illic stupendæ testis oculatus. Inter longe plurima refert ille, quod eodem loco, tempore, frugum genere, hic sementem istic messem fieri, quin simul illic fruges in herba luxuriari, alibi maturescere, videoas. Quid mirum ergo, si tanta opulentia fama narrationem fabulæ propiorem peperit, aut eam saltem ad hyperbolas contorsit.

II. Iam per liberiorem, ut ingenue fatear, applicationem mensæ Solis nomen ad Aethiopiam fœcundissimam accedere equidem potest, at genuina historiæ vi neutiquam. Suffragatur Mela, dum ait: *Est locus &c.* ut in harum schedarum fronte. Neque est enim ea verborum notio, ac si Aethiopia ille locus, sed quod in Aethiopia sit. Id vel *εὐερῶς*, sequentia Melæ verba docent, quibus idem modus dicendi inest, *Est*, inquit, *lacus* sc. in Aethiopia illa, quo perfusa corpora quasi uncta pernitent, *bibitur idem &c.* Cæterum sunt & aliæ regiones feracitate nō peiores Aethiopiâ, quin nihil cedit Aegyptus ipsa, si non multo superior etiam; licet nec solis nec soli; ut Aethiopia, verum oblicationis Niliacæ beneficio. Ita enim idem ille Mela l:c. 19. *Terra expers imbrium, (quod Scriptura S. ipsa affirmat, Deut. 11, 10. Auditu equidem rarum, mirum!) mire tamen fertilis & hominum aliorumque animalium perfœcunda generatrix: Nilus efficit, omnium in nostrum mare permeantium maximus.* Neque tamen vel hæc vel illæ mensa unquam Solis dictæ. At nec sumimus rerum Romanarum moderator Severus in Aegypto fertilissima ad visendos agros fertiles per alienas terras, nec sine periculo vel saltem itinerum tædio maximo, penetrare, in annum induxisset.

III. Arte præterea fercula composita ac lauditarum abundantiam Pomponiana verba arguunt. Namque de *apparatis epulis* ajunt & de iis que *appositæ sunt*. Naturalis ergo fertilitas hinc prœcul facessat! Nec tamen, ut historiæ fidem quoque, caput rei, adstruam, fabulæ infamia historiæ huic adspersa. Imo nec potest

poteſt quidē rei fides eſſe dubia. Rem n. Aegyptiis Romanæ arro-  
gantiae fastigio jam dudū ſubiectis, notiſimā Mela, nō figmentū,  
historiæ intexuit. Locorū longinquitas falſationis mater eſſe ſo-  
let. Hinc in deſcriptis locis remotiorib. Melę, alioquin accurati-  
ſimi, Oratio, ſi quando cœcutiens titubet, & in fabularū ſalebras  
delata impingat, nihil mirum. At hic pro historia & Imperatoris  
longe poſt facta loci inspeccio, & que inde colligitur, vicinia mi-  
litat. A falſimoniae ergo atra nota ſic eximitur narratio, nec inter  
confictorum περὶ Ψήφας, (quisquilijs) rejicienda amplius.

Porro ut Solis mensa Aethiopum, ita Solis urbs Aegyptiorū erat:  
ſibi que invicem oppoſitæ videntur, & alterutra ex alterius emula-  
tione coorta: (quod & iſummet viciniæ argumentum p̄rae-  
bet.) Scilicet urbs urbis emula, emulus populi populus in pieta-  
tis (idololatricæ, non veræ) negocio ſemper. Id gentiliū habet  
ingenium. Satan auctor eſt; Fidelis adjutrix humana corruptio.

IV. A verbis fabula hactenus remota, remotū, arte adſtruēta,  
naturæ donū. Quid igitur ſibi hæc tandem verba volūt? Religio, So-  
lis ſacra rei totius cardo ſunt. Difficultatem parit aliqualem ver-  
borum jejuniū, cui ſe conſultius auctor videtur adſtrigere, qui  
hoc ipſo Romanæ arrogantiæ fastū prodiit, omne ſacrūa ſe nondū  
receptū ſusq; deq; habentem. En tibi ingeniū! Ad religionem er-  
go loci, quin ad miraculū, vel ſacerdotum gentilium fraudes, que  
omnia ſubticere Mela primo intuitū videtur, at tñ. ſubindicat, no-  
stra nunc oratio decurrat. Religiosissimi equidē ſemper ſunt ha-  
biti Aethiopes. Testes Homerus, Heliodorus, alii. Id quod eximie  
cauſæ noſtræ favet. Hinc n. non facilior modo p̄ſentis dicti Pō-  
poniani enodatio, verum & ad pium populi in Christianismo ze-  
lū applicatio: Sed ad rem! Eſt, inquit Mela, locus; nonne facer ille?  
Subjicit enim; ἡλίς τε πτερυῖς appellant. Vel nomen hoc re-  
ligionem evincit. Nū n. mensa Solis non ſacra? non conſecrata?  
Nū gentiles & illi religiosissimi quidem de Solis mensa gloria-  
rentur ſine ſacris? Divinitatem deniq; ipsam & miracula quoque  
loci Mela innuit, ſed, quaſi rei fidem vix habiturus, myſtarū frau-  
des pene perſentifcens, & que, inquit, paſsim appoſita ſunt, affir-  
mant ſc. Solis ſacrifici, innatiſci ſubinde divinitus.

B6 8.  
8



VDT

Ms. C.





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
19	18	17	16	15	14	13	12
19	18	17	16	15	14	13	12
19	18	17	16	15	14	13	12
19	18	17	16	15	14	13	12

